

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Historiæ sequentis authoritas, & fides.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

424 Cap. XXXVII. Aliquos, post mortem, infamia liberatos.  
tota familia audiente, exclamat: *Hic meus est filius; Quis te, mi  
Ieannine huc casusue Deusue apportauit?* Ad quam vocem omnes  
eohoruerunt. Sed in primis, quæ matrem mentita est; quæ ve  
dolum mendacijs teget, nutricem mendacijs arguit. Ibi ergolis,  
ibi rixa, ibi alterna mulierum conuitia; donec aduocato colono  
meretrix ostendit, se matrem esse, quam ille nesciebat in urbem,  
ad id negotij fuisse in uitatam. Neque patuit tantum, suppositum  
fuisse partum, rusticō veritatem fatente: sed etiam intellectum  
est, puerum bis fuisse baptizatum, & in primo lauacro Ioanninum  
nominatum. Sic detecta fraude atque scelere mulieris, infans ve  
ræ matri restitutus, & hæreditas vero reddita est hæredi. Nullum  
in hoc casu fuit miraculum, cæus tamen est, qui nullam hic videt  
esse prouidentiam diuinam, quæ voluit, uno facto, iniuriam &  
facientis, & patientis manifestare.

C A P V T   X X X V I I .  
*Mirum Dei iudicium in agricola Voburgensi, alij sq; duobus  
per mortem & summam infamiam, ad summam gloriam  
per ductis.*

L.

Matth. Rad.  
in Bau. pia,  
edita Anno  
1618. pag. 110.

**A**NTE Suecici belli tempora, Biburgi, in Bauaria liber per  
uetustus manu scriptus, asseruatus fuit, in quo mona  
chus Mynsteriensis, sui temporis, & earum potissimum  
rerum, quæ circa ea loca contigerunt, annales exarauit. In ijs  
monumentis legebatur historia, quam recensebo, inferamq; hic  
tanto libentiū, quia sæculi nostri infelicitate, ut multa alia, ita  
etiam Annales illi perierunt. Habeo tamen eiusdem historiæ,  
præter propriam memoriam, testes complures, è quib. duos suf  
ficiet nominasse. Primus est doctissimi nominis & diligentissime  
eruditioñis, optimeq; de Bauaria meritus vir Christophorus Ge  
boldus, qui cum historiam illam haberet notissimam, voluit eam  
typis mandare, atque in lucem emittere, si prouixisset. Fecit ta  
men id Matthæus Raderus noster, prout eam à viris fide dignis  
acepit, qui recte ad calcem historiæ adiicit: *Ego neque nomen, ne  
que Calendas, aut Consules ullos, quib. hoc euénit, potui cognoscere.*  
*Nempe etas illa simplex rem tantum signauit, tempora neglexit. Ego  
vero, nec tempora quidem à scriptore neglecta arbitror, sed à le  
ctoribus*

storibus obliuioni tradita. Nam qui oculis suis saepius historiam illam perlegerunt Biburgi, mihi retulerunt, licet temporum non recte meminissent. Quia igitur ea vulgo ignota est, atque etiam aliquot circumstantijs omissis alibi restricta: quin & longè pulcherrima, dignissimaque, ut ad posteros transmittatur, utique dicturos: *Deus auribus nostris audinimus: Patres nostri annuntiaue-* Psal. 43, 2. *runt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* Idcirco eam hinc paulo vberius commemorabo, seruatis ijs, quæ Raderus compendio comprehendit.

Voburgum Boiaræ oppidum est perantiquum, inter Ingolstadium & Neostadium, medio fere interuallo, cis Danubium; inde medio milliari, in loco solo, villam & arma habebat rusticus, cui Deus, præter fundum & mapale, vxorem bonam, & vxor bonos liberos dedit. O quanta est sancti coniugij felicitas! Hoc coniugum par, cetera concors, in hoc uno inter se, certabat, maritusne vxorem, an vxor maritum & labore vinceret, & pietate. Itaque bono parentum exemplo, liberi quoque benè formabantur. Quo factum est, ut villa rustica, cœnobium quoddam Religiosorum posset videri. Non ibi fabulae aniles, non sermones noxijs audiabantur, sed, ut olim, D. Hieronymi aetate, ad sti- uam ipsam, ad colum, ad omnes labores, cantabatur lætum Alleluia. Hunc ipsum posset videri descripsisse Poëta, cum cecinit:

*Beatus ille, qui procul negotijs,  
Ut prisca gens mortalium,  
Paterna rura bobus exercet suis,  
Solutus omni fænore:  
Nec excitatur classico miles truci:  
Nec horret iratum mare:  
Forumq; vitat, & superba cinuum  
Potentiorum limina.  
Ergo aut adulta vitium propagine  
Altas maritat populos:  
Aut in reducta valle mugientium  
Prospectat errantes greges:  
Inutilesq; false ramos amputans,  
Feliciares inserit:*

Horatius 136  
Epodon.  
Ode 2.

*Hbb*

*Aet*